

12
HORTVLVS ITERVM
M A R I T A N D Æ

D O N A T V S
N O V O S P O N S O

R E V E R E N D O E T O R
N A T I S S I M O V I R O D . M .
E R A S M O I O H A N N I S

A

*GERARDO ASSENBVRGIO
Tangermundensi.*

V L Y S S E Æ

anno

M . D . L X X V I I .

HORTIVS TERIVM

MARITAND

DOINAVS

NOVONS

REVERENDO ET OR

NATISSIMO VIRON

FRANCO JONANIS

A

GERARDO SSENBERGIO

FRANCO JONANIS

ALYSSE

anno

M. D. LXXII



PLorantis multum viduæ multumq̄ gementis
Postquam oculos vidi lachrymarum mole fluentes
Singultus crebrosq̄ meis postquam auribus hausi:
Mœsticiæ tantæ causas scrutarer vt ipse
Consolaturus (pietas huc impulit, atq̄
Hocce necesse putant quos forte his consona fata
Vrsere aut vrgere queant voluentibus annis)
Ruseo. Nam viduæ Musas memorare querelas
Expeto: ad has etenim vidi consurgere cautes
Et flexisse suos retro vaga flumina cursus.
Quid Musæ? prohibent mirari, causa doloris
Huius namq̄ vrsis fuerit quoq̄ causa doloris.
Adq̄ hanc ingemuisse feræ lustra alta tenentes
Auditæ, & mugisse vlulatus ignifer æther.
Destituuntur apes succis, & rore cicadæ,
Montes ferre negant flores, vacua ipsaq̄ prata.
Immemor est vnda, est & graminis ipsa iuuenca:
Abstinet fluijs ouis, abstinuere bouesq̄
Omnes namq̄ ab itum domini gemuere mariti
Quam dixi viduæ, quæ nunc sine flumine fontem
Possidet, atq̄ dies numerat sine lumine Solis,
Insomnes ducit noctes sine lumine Lunæ,
Namq̄ cadente viro cecidit simul ipsa voluptas.
Fœmina talis erat dulci quæ orbata marito est.
Hinc sed digressus viri dantem vbi conspicio hortum
Carmina me alliciunt cantantis dulce puellæ,

Vere nouo flores ad rosida ferta legentis.
Gaudeo Musa venit nobis quia lætior ore,
Lætior & gestu, tum pectore lætior ipso.
Læta nisi gemitus rumpit quòd gaudia mixtus,
Et tacito querulas voces has murmurat ore
Prudens virgo suo: violæ qui nomina fecit,
Nomen, credo, dedit vana haud ratione disertus,
Hanc siquidem violam violat manus, imber & auster
Turbidus, atq; pedum premit hunc violentia florem.
Aëre quin puro, nimbis atq; imbre remoto
Non sinit illæsum florem tamen ignifer orbis,
Fit sed causa necis violæ, modo commoda vitæ
Præstiterat qui luce sua lucisq; vigore.
Nec rosa tuta satis, quamuis ea rodere nullum
Tentet, & enatam rodent hanc cuspide spinæ.
Crudeles nimium matres minantur acerbam
Hæ soboli mortem propriæ, cupiuntq; necatam.
Millia quin florum absorbent incendia mille.
Sic tandem ipsorum defloret gratia florum.
Elysium infelix possem si inuisere campum
Spina minax tribulusq; pedes vbi lædere nescit
Nec paliurus vbi durus secat intima plantæ,
Sed virides florent flores sine fine modoq;
Ex quibus Ambrosij spiratur gratia odoris.
Audiit orantem veniens huc forte puellam
Doctrina excultus iuuenis fandiq; lepore,

Atq;

Atq; etate pari, mæstæ solatia menti
Redderet, & verbis sanctis pia corda leuaret.
Tali igitur notam sermone affatus amicam est:
Quos flores, quæ poma tuis his cernis in hortis
Casta puella scias pingant tantumq; figurent
Cælestes hortos, quos citra gaudia nulla,
Quiês sine nil lætum esse potest & amabile quicquam.
Poma colore suo fulgentia sidera vincunt,
Omnibus vnus odor pomis, sapor omnibus vnus
Ambrosius, nobis corda immortalia præstans,
Deficiens nunquam, quorum si forte labellis
Percipias gustum tenuem, fastidia cuncta
Poma putes terris quotquot nascuntur in istis.
Res etenim superas nobis terrestris adumbrat.
Poma tamen, si fortè petis fragrantia cæli
Nec minus in terris nostris nascentia poma,
Hortum monstro tibi gens est quo condita nostra
Sanctum coniugium, quo nunquam nobiliorem
Hortum plantatum radijs complexus in orbe est
Omnia multifido scrutatus lumine Phæbus.
Quod si fata volent Christo duce & auspice Christo,
Tu mihi vitis eris generosa & sancta puella,
Vinifluas fundens vvas, promens & oliuas
Paciferas, patrem me, te matremq; vocantes,
Et pueros fratres, caras fratrumq; sorores.
Floricomum talem mecum plantaueris hortum

A 3 - In

In quo erit vna salus nobis, erit vna voluptas,
Hic senibus nobis baculus tutusq; receptus.
Talia vota facit iuuenis, rapit igneus ardor
Artus virgineos, roseus pudor ora colorat,
Quæ rursum iuuenem verbis affantur amicis:
Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam non vlla magis vox pertransire medullas
Has potuit nostras, fateor semperq; fatebor,
Te pia te genitrix natæ defuncta maritum
Optabat semper, tibi me desponderat vni,
Nec, video, genitrix spem nobis fouit inanem
Nec tua te faciam frustrari dulcia vota,
Orbatæ solamen eris, tibi dulce leuamen
Hæc est, quam Dominus iunxit, iunxere parentes.

Exemplo simili cum te Deus vniat illi,
Quæ paradysiacos flores desiderat, arte
Hos volues docta flores ornat e Magister
Exponens vires, formas & floris odorem.
Pro tali officio faciet te fœta parentem
Hortum plantatura Deoq; tibiq; perennem.

FINIS.



1534 04


AB 153404


ULB Halle 3
002 671 190



SR







12

HORTVLVS ITERVM
MARITANDÆ

DONATVS
NOVO SPONSO

REVERENDO ET OR
NATISSIMO VIRO D. M.
ERASMO IOHANNIS

A

GERARDO ASSENBVRGIO
Tangermundensi.

VLYSSEÆ

anno

M. D. LXXVII.

